

Ad Lectorem.

tametsi diuersæ, non affero. Varias interpretum translationes, maxima parte huius primi Tomi non admodum curiose notavi, quòd libri me destituerent: at deinceps, uti iam cap. 14. cœpi, ita diligentissimè perficiam. *Quæstionum multitudo, aut etiam styli prolixitas, si cui forte nauseam pariant, in sequentibus emendari facillè poterunt. Errata Typographorum, ne recognoscerem, incidens morbus prohibuit. Veruntamen dum non sine molestia opus ipsum collustro oculis, & pauca folia percurro, statim in scopulum impegi, qui te, Lector, morari posset. Nam columna 31. B. linea 27. sic scriptum inueni: quæ ad primum conspectum. Quomodo Angeli facinus, &c. Quæ verba perperam immutata sunt, & malè distincta periodus, nullo sensu. Aliter ergo scripseram: quæ ad primum conspectum, quomodo Angeli faciunt, in rerum, &c. Memini præterea nonnusquam me negare, legisse me apud vulgatum interpretem Noui Testamenti, barbaram quandam vocem manicarè, in quam tamen mox incidi apud Lucam, cap. 21. vers. 38. Variant scilicet hoc loco codices, ut etiam Romani Correctores notarunt. Sed nec Concordantia ipsa Bibliorum eius vocis meminere, sed habent eodem loco, Et mane ibat, non manicabat. Hæc sunt, Benigne Lector, quæ nonnulla mihi animaduersione digna visa sunt. Plura fortassis prudentia tua obseruabit: de quibus summi beneficij loco ducam, si mature admonear. Vale.*